DOMINICA PRIMA SEPTEMBRIS
IN SOLEMNITATE

BEATORUM OMNIUM MARTYRUM INDOSINENSIUM

Introitus. *Psalm. 78.*

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est. *Ps. ibid.* Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri. Intret.

Oratio.

Deus, qui ómnium Beatórum Mártyrum tuórum, in regióne Indosinénsi peremptórum fidem mirábili constántia roborásti, concéde propítius; ut Ecclésia Tua, eórum précibus adjúta, novos ubíque terrárum triúmphos celebráre mereátur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. *Hebr. 11. f.*

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum : accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos : álii autem disténti sunt non suscipiéntes redemptiónem ut meliórem invenírent resurrectiónem. Alii vero ludíbria, et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres : lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt, circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti : quibus dignus non erat mundus : in solitudínibus errántes, in móntibus, in spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. *Exod. 15.*

Gloriósus Deus in Sanctis suis: mirábilis in maiestáte, fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúia, allelúia. ℣. *Eccli 44.* Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatiónem et generatiónem. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc. 6. c.*

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis?Sídonis, qui vénerant ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere : quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse elevátis óculis in discípulis suis, dicébat : Beáti páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis, quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis, quia ridébitis. Beáti éritis cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte : ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Offertorium. *Ps. 67.*

Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúia.

Secreta.

Réspice, Dómine, múnera pópuli tui; ut, quæ sacris sunt obláta mystériis, Beatórum Mártyrum, tuórum tibi pláceant intercessióne. Per Dóminum.

Communio. *Sap. 3.*

Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocáusta accépit eos.

Postcommunio.

Sacramentórum tuórum, Dómine, commúnio sumpta nos salvet et Beatórum Mártyrum tuórum in regióne Indosinénsi peremptórum accedéntibus méritis, in tuæ veritátis luce confírmet. Per Dóminum.

CONCORDAT CUM ORIGINALI
✠ P. M. Gendreau, Ep.
Vic. Apost. de Hànội.

IMPRIMATUR
Sàigòn, die 3a Augusti 1925
A. Delignon,
Sup. p. i. Missionis